



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 128. Petrus autem à longe secutus est eum. v. 54.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

Senatorum ac Tribunorum tam Ciuiliū, quam Militariū, accuratissima adhibeatur ratio. Orandus est etiam ante electiones eiusmodi orans Deus, ut mittat operarios dignos in vineam & messem suam, doctos, pios & iustos, qui populum iudicent in æquitate, non iniquitate, non proprium commodum & honorem, sed proximi vtilitatem, communitatis bonum, & Dei cultum ac honorem quærant. Oremus ergo Dominum dicentes:

Misericors Deus, cælestis Pater in cuius manu est omnis potestas, & Magistratus per te constitutus ad supplicium malorum, & defensionem bonorum, in cuius potenti dextera sita sunt omnia iura & leges imperiorum. Te supplices corde deuoto oramus pro magistratu nostro Ecclesiastico, Academico & Politico vna cum ijs qui sunt à consilijs eorum, & rem eorum administrant, ut gladium tam spiritus, quam carnis per te commissum in fide vera & timore Dei recte gerant, eoque pro tua voluntate & iussu vtantur, obumbrer ipsos virtus & sapientia altissimi, illumines, & conformet eos in amore Dei ipsa diuina gratia. Da illis Domine sapientiam & intellectum. Concede pacatam gubernationem, ut omnes subditos in veritate fidei, dilectione & iustitia, quæ tibi sit cordi regant, & dicto adiuuantes conseruent. Proroga ipsis dies vitæ suæ, & annos multos largire, ut prospera & laudata ipsorum functione nomen tuum sanctificetur, & populi inducantur ad omne tibi placitum bonum.

§. 128. *Petrus autem à longe secutus est eum. v. 54.*

Dum Christus ductus in atrium Principis Sacerdotum, in quo omnes conuenerant status Reip. Hebræorum & ordines, ad discipulos qui ex his ordinibus ac status erant sese etiam conuertit Euangelista, & quid Petrus corū primas fecerit enarrat. nempe eum qui antea aureos montes sperauerat ne quidem terreos præstitisse in tanta persecutione, sed primum debuisse in horto cum alijs discipulis, & fugam cepisse mox memorem verborum suorum, iterum resumptis viribus & animo secutum esse, verum tamen à longe, non prope. Vnde timeo ne hæc ipsa à longe sequela exitio nouæ ianuam aperiat. Rem totam videbimus.

Domine Deus meus, audiui ex SS. Patrum tuorum, meorum Doctorum & Magistrorum ore, quod tepor sit dispositio ad ruinam, & non le esse in primis sit appropinquatio ad postremos, timeo igitur & Petro & mihi, ne nobis contingant infortunia, dum te à longe & nos prope sectamur. Excita igitur nos in salutarum tuo, ad zelum & feruorem deuotionis, ut grauius cadamus.